FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

Franz Ernst Bruckmann

48.

EPISTOLA ITINERARIA XLVIII.

EXHIBENS

MEMORABILIA POSO-NIENSIA

AD

VIRVM REVERENDISSIMVM CLARISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM DOMINVM,

DOMINVM

FRID. CHRISTIAN. LESSER,

VERBI DIVINI MINISTRVM NORTHVSANVM AD MONTEM MARIÆ VIRGINIS FIDELISSIMVM,

ET

ORPHANOTROPHII ADMINISTRATOREM GRAVISSIMVM,

AMICVM COLENDISSIMVM,

OBSERVATA

A

FR. ERNEST. BRVCKMANNO. D.

CUM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXVI.

VIR PLVRIMVM REVERENDE

ATQVE

DOCTISSIME,

FAVTOR ET AMICE ADMODVM COLENDE!

Vienna Auſtriæ, eiusque ſuburbio, *Vir plurimum Reverende*, die 22. Mart. 1724. relicta, ad latus ſiniſtrum proxime & immediate ad circumvallationis lineam *Hoſpitalium St. Marco dedicatum*, in quo tantum perſonæ impuræ lue Venerea decumbentes priſtinam ſanitatem, voluptates deplangentes morbiferas, nec non meretrices felix puerperium exſpectant, pertranſivimus. Inſtitutum ſane optimum maximopereque laudandum, nam infanticidia criminoſa in urbe inhibet, & nutrices infantibus, quorum matres lactis defectum in uberibus laborant, porrigit. Iter abhinc ducit ab oppidulum & monaſterium Capucinorum, *Schvvaechet*, porro ad oppidulum *Fiſcheredt*, hinc ad *Hainburg*, *Haimberg*, *Haynburg*, *Haimburg*, *Hamiburgum* ſ. *Hamburgum Auſtriæ*, nonnullis antiquitatis Romanæ monumentis & fonte ſoterio frigido, cuius aqua vero prius ante uſum

 ad

ad ignem calefit, nobile, in Finibus Austriæ & Panno-niæ situm, oppidulum. Ex multis & magnis ruinis, nec non muris disjectis, hodie adhuc videndum, quod locus sit perantiquus, & olim maximus fuerit, qui etiam præposituram, hodie non amplius obviam, habuit. In monte alto vicino, *Haymberg* dicto, a quo oppidulum dubio procul, nomen habet, est castellum vetus Comitum Lœwenburgensium inhabitabile, in quo præstantissimi falcones indificant. Sunt, qui sed absque vero fundamento, perhibent, hanc arcem obsoletissimam veneficis & fascinatoribus habitationem esse, qui sua conventicula, non aliter ac in monte Hercyniæ sylvæ Bructero, hic haberent & saltando tempus cum cacodæmone fallerent. Conf. Georg. Gottl. Müllers berühmtes Ertz-Hauß Oesterreich / nach dessen Ländern / Städten. rc. p. 84. Incolarum quæstus & victus pronunc, emporio & commercio dehinc a Leopoldo IV. Austriaco Viennam translocato, desumitur ex vineis & re rustica. Adest hic loci Imperatoris fabrica tabaci, in qua folia Peti arida partim in magdaleones volvuntur & torquentur, partim in pulverem & granula minutissima, pulvis nasalis vulgo dicta, quæque nares, pica laborantes, avide attrahunt, comminuuntur; quædam huius species pulverem sternutatorium Hispanicum subtilissime tritum refert. Frumentum Turcicum, Mais appellatum, hic copiose plantatum vidimus.

Tantem ad nobilem Hungariæ civitatem, *Posonium*, *Pisonium*, *Presburg*, in Marcomannorum & Quadorum finibus, decem Vienna milliaribus sitam accessimus. Sita est ad Danubii ripas, quem magnum fluvium in duobus rectis pontibus, & uno volante, fliegende Brücke / de quo Sturmii diss. de arte flumina reddendi navigabilia & de ponte sublicio, qui figura-

tus

ibi proſtat & videndus, evolvenda, ſupergreſſi ſu-
s. Statio nobis in ſuburbio in diverſorio ad aqui-
nigram fuit. Hæc urbs, quæ Latinis quoque
um dicta, eſt locus perantiquus, pulcer, jucun-
, 38. grad. 13. min. longitud. & 48. grad. 25. min.
ud. ſitus, non admodum ſpatioſus, ſed ampla ha-
s ſuburbia, quæ maximam eius conſtituunt par-
, imo urbem ipſam magnitudine multum ſuperant.
pugnaculum adeſt munitum ſed minime valentis-
um, foſſa profunda, aqua repleta, circumdatum.
es habet in mœnibus *portas* & januam parvulam,
Pförtgen. Portæ St. Michaelis magnis literis aureis
icta leguntur verba:

OMNE REGNVM IN SEIPSVM DIVISVM
DESOLABITVR.

Templum in urbe *cathedrale*, *die Stiffts-Kirche*
Martino dicatum eſt, in hoc reges, exemplo Jo-
hi Anno 1687. Caroli VI. Anno 1712. & ejus uxoris
ſabethæ Chriſtinæ, Anno 1714. ſolemniter diade-
te coronantur. Coronationem Regum Hungariæ,
habitu & ornatu nec non machæra Regis Stephani,
onii, vid. apud E. Franciſci *luſtiger Schau-Bühne*
rband Curioſitäten Part. I. p. 381. *Monaſterium*
oque non unum, ſed plura adſunt, nempe Colle-
m Jeſuitarum, Franciſcanorum, Capucinorum,
trum miſericordiæ, Crucis dominorum, *der Creuz-*
rrn, virginum ſacrarum Urſelinarum, *der Urſeli-*
-Nonnen, it. monialium St. Claræ dogmata, leges
ſtatuta rite obſervantium, *Clariſſerinnen-Nonnen*,
Clarens Nonnen-Cloſter. St. Claræ de monte Falco
ginis icunculam hic addimus, in qua ſequentia
enda:

Infige pectori tuo, cordi tuo, ut opera tua crucifixi: vid. Tabula,
fige & bracchio tuo, ut opera tua peccato mortua

 „ſint:

Mortua ſum, non ſum, quondam Regina Canopi:
Mors vitam rapuit, pharmacopœa dedit.
Spiritus exceſſit deſerta carne ſub umbra,
Sed caro, corrumpi neſcia, & oſſa manent.
Sag', was ſoll wohl diß ſeyn, ſo lebt und lebt doch nicht?
Wilſt wiſſen dieſe Frag, ſo faß mich wohl zu G'ſicht.
Ich leb, und leb doch nicht, vorhin ein Purpur-Kind,
Anjetzt ein Mumien, dergleichen nicht viel ſind.
Daß ich nicht lebe mehr, iſt Urſach Todes-Macht.
Daß ich doch lebe noch, giebt Apothecker-Macht.

Vid. plura in den Breßlauer Kunſt- und Natur-Geſchichten, Verſuch. pag.

Cleopatræ Reginæ corpus 126. Olympiadum ſpatio, quod noſtrorum annorum 504. a Græcis deductum adimplet, integrum ac incorruptum Heracleus Imperator invenit, ut ex ejus ad Sophoclem, amicum ſuum, epiſtola abunde videre eſt. Et ſic quær, quomodo & quando hæc Cleopatræ mumia ſit Poſonium transportata?

Monaſterium Fratrum Miſericordiæ, quod in ſuburbio exiſtit, eſt unicum hujus ordinis in tota Hungaria. Valetudinarium quatuordecim habet lectos, in quibus mille morborum ſpeciebus afflicti, cibo & potu innocente a monachis gratis recreantur, medicamentis ſalutiferis, ſub regimine medici ordinarii, proſpiciuntur, ſanitatem priſtinam deſiderant & recuperant.

In medio fori, quod pro civitatis dignitate magnificum ſatis & amplum, ſtat curia cum turri. Collegium Senatus dimidium ex membris Evangelicis & Romanis conſtat, cum plurima pars civium veriſſimæ ſit Evangelicæ fidei addicta. Forum quoque fonte egregio, pellucidiſſimam ſaliente aquam, ornatum.

In urbe palatium habet Vice-Rex ſ. Palatinus, & in ſuburbio Archiepiſcopus ſplendidam poſſidet domum,

mum,

aum, cum viridario perjucundo, ambulacris, ſpecubus, ·ulgo Grotten, fontibus ſalientibus curioſis artefactis, ›iſcinis, eremitarum domunculis & aliis blandimen-is ornato.

Maxima incolarum pars Evangelicam Chriſti ſalvatoris ſequitur doctrinam, in ſuburbio ædem ſacram, *ein Betthaus*, habet, cui præſunt quatuor orthodoxia imbuti verbi divini miniſtri, ovium Chriſti fideliſſimi cuſtodes; tres ex cathedra ſacra lingua Germanica ſermones recitant; quartus eſt Bohemo-Hungaricus, qui lingua Sclavonica populo conciones dicit. Inter hos Dom. Matthias Bel, olim ſcholæ Evangelicæ Neoſolienſis, poſt Poſonienſis, Rector, vir præſtantiſſimus & doctiſſimus, quem tota natio Hungarica ſummopere admiratur, & cui principem locum inter eruditos meritiſſime tribuit. Eſt polyhiſtor exquiſitus & hiſtoricus præcellens, teſte eiusdem prodromo Hiſtoriæ Hungaricæ Nov-Antiquæ, qui Anno 1723. in fol. c. fig. Norimb. lucem adſpexit; Opus ipſum, quod jam in manibus ſedulo volvit, ex aliquot tomis conſtabit, quorum primus hoc anno prodiit. In his Hiſtoria Hungarica, & nova, & antiqua, ſecundum methodum, in prodromo apertam, pertractabitur. Cum vero ſtupendi laboris opus, nec unius hominis lucubratio ſit, aliorum Doctorum virorum opera & ſtudio multum facit, quo egregium diuque deſideratum hocce opus eo citius terminum attingere poſſit ultimum. Vir nominatus præclarus præterea in officio ſuo ſacro & eccleſiaſtico multum laboris habet. Reliqua perdocta opera, quæ calamus eius ornatus cum orbe erudito jam communicavit, ſunt ſequentia: Anno 1713. in linguam Hungaricam transtulit Dom. Ioh. Anaſtaſii Freylinghauſens Compendium der gantzen Chriſtl. Lehre/ ſub rubrica: Compendium, avagy Rovid ſummaja az

egeſz Kereszteny Tudomanynak XXXIV. articuluſaiban foglaltatott, Es az idvezſegnek Sz. Irasbelirendi Kerdeſekben es Feleletekben eleinten Nemet Nyelven el-Keſzittetett Freylinghuſius I. Anaſtaſius Glauch. Adj. Lelki Paſztor altal; moſt pedig az igaz hitbeli Magyar Anyaſzentegyhaz Kedveert Magyar nyelvre fordittatott es az Igaz Kereſztenyi Eletre valo rovid es egyngyu vezerleſſel meg-bovi-Hetven Ki-bothſattatott. *Bel Matyas*, &c. Saxoniai Hallaban. 1713. 8vo.

Domini Hungari in conſuetudine habent, pronomina luſtrica nominibus propriis ſ. agnominibus poſtponere.

Matthiæ Belii Rhetorices veteris & novæ præcepta uſu neceſſaria; acceſſit poetica. Lipſ. 1717. 8vo.

FlosMedicinæ ſ.ScholæSalernitanæ de conſervanda bona valetudine præcepta metrica, auctore Johanne de Mediolano; in uſum adoleſcentiæ edidit & perantiqua verſione Bohemica illuſtravit Matth. Bel. Poſonii 1721. 12.

Diſſ. academ. de forma ſanorum verborum, ſub Præſ. D. Joach. Breithaupt. Halæ. 1709. 4to.

Das Neue Teſtament / Böhmiſch. Hall, 1709. 12.

Eine neue Auflage von Arends wahren Chriſtenthum / in Böhmiſcher Sprache / davon er das 5te Buch ſelbſt überſetzt. 1715. 8v. Hall.

Grammatica Latina ad modum Chriſt. Cellari, facilitati reſtituta, Latine & Germanice. 8v. Leutſchau. 1717.

Inſtitutiones Grammatices Germanicæ, in uſum adoleſcentiæ Hungaricæ, cum præfatione, de linguæ Germanicæ & Slavicæ in Hungaria ortu, propagatione & dialectis. 8v. Leutſchoviæ. 1718.

De vetere litteratura Hunnoſcythica exercitatio. 4to Lipſ. 1718.

Chriſtoph. Cellarii Latinitatis probatæ & exercitæ liber memorialis, plurimis vocibus latinis, & verſione Hungarica atque Bohemica locupletatus. 8v. Norimb. 1719.

Arends Paradies-Gärtlein / Böhmisch. 12. Leutschau. 1720.

Die Bibel in Böhmischer Sprache / nach dem Ebraischen und Griechischen Grund-Texte aufs genaueste übersehen / nebst einer Einleitung zu Lesung der Heil. Schrifft. groß 8v. 1722.

Arents Paradies-Gärtlein / Ungarisch übersetzt. 12. Nürnb. 1723.

Ethica Davidico-Salomonæa, cum præfatione de abuſu Ethicæ Ethnicæ ex ſcholis Chriſtianorum eliminando. Lipſ. 1724.

Nov. Teſtam. Lat. cum præfat. de lectione bibliorum a puero inſtituenda. Ibid. 1724.

Et hic eſt Catalogus ſcriptorum Belianorum, Dictus vir venerandus curioſis monſtrat ſceleton animalis minus noti, ad Deminova pagum effoſſum quod ſub nomine ſceleti Draconis accepit; nec non dentem Elephantis permagnum, intus calcinatum, in Tranſylvania ex terra erutum. Nihil jam habet amplius habuit autem antehac multa petrifacta, ſed quæ illuſtri Heræo, Antiquario Cæſareo, dono miſit. Evangelici, præter ædem ſacram in ſuburbio, & bene ordinatam ſcholam ſ. gymnaſium habent. Medici Evangelicæ Religionis, in urbe ſunt ſequentes. D. Carolus Reygerus, Raiger, D. Torkos, D. Koller, natione Saxo, D. Windiſch, D. Hermann; unus Romano-cathol. & unus Iudæus, nomine Marpurger. D. And. Hermannus, medicus perſonæ Cardinalis purpurati Cſaki,

egregius physicus & docimasta est, qui ferme omnia minerarum Hungaricarum genera & species curiosis offerre potest. Invenit sal purgans Hungaricum, & diss. epistol. de isto, sub titulo: Diss. epistol. de sale nativo carthartico in fodinis Hungariæ recens invento, &c. 4t. Posonii, 1721. edidit. Officinas pharmaceuticas Evangelicorum urbs quatuor, & duas Romano-Catholicorum, quarum una in Collegio Soc. Iesu Patrum, & altera in fratrum Misericordiæ monasterio prostat, numerat. Regni Præfecti & status provinciales hic loci dies suos comitiales peragunt. Reges quoque Reginæque hic coronantur.

Arx Regia colli admodum edito ad Danubium ante urbem, quam subiectam tuetur, imposita, est præstantissima, quadrata, castello probe munito cincta, in nullo non angulo turrem spectabilem habet; in quadam ex his quatuor turribus Danubium versus crypta convexa, admodum in lapidum visceribus profunda, coronam Regiam & Insignia Regni Hungarici custodit. Hæc omnium conspectum fugiunt, cum ex duobus Hungariæ Magnatibus quilibet peculiarem ad hujus fornicis clostra habeat clavem, quæ non, nisi sint ambo præsentes, aperiri possunt. Imperatoria vero Majestas clavem universalem, den Haupt-Schlüssel/ possidet. Sunt, qui perhibent, septem Dynastas Hungaricos conservare & custodire claves ad hanc gazam, neminem solum istam aperire posse, sed nunquam non necesse fore, omnes & singulos adesse, quæ vero relatio veritati contradicit, cum saltim duo istas claves conservent. Diadema, inter insignia, inprimis maximi pretii æstimatur. Tradunt, angelum, legatum divinum, istud cœlitus ad coronationem primi Hungarorum Regis Stephani, in terram deportasse. Alii contra volunt, istud cœlo in terram delapsum, interque cadendum parum in isto fra-
ctum,

ctum, quod nulla artificis manu reparari possit. Revera autem hæc corona est opus & factura Grœcorum, Regique Stephano a Pontifice maximo Romano Posonium transmissa. Conf. Mart. Schmeitzelius de Insignibus, vulgo Clenodiis, Regni Hungariæ. 4t. Jenæ 1713. it. Ej. Comment de Coronis, speciatim Regni Hungariæ 4t. Ib. 1712. it. E. Browns Reisen. p. 95. 96. it. Küchelbeckeri Nachricht vom Röm. Kays. Hofe rc. p. 76. In dicta arce regionem, plus duodecim milliarium amplam, inpr. deorsum versus Danubium, quæ paradisum amœnum refert, oculis prosecuti sumus. Collis, cui arx imposita, petrosus lapide scissili est, intercurrentibus passim perelegantibus Talci aut glaciei, quam vocant, Mariæ, venis ad duorum triumve digitorum latitudinem.

Ranæ Posonii in Hungaria, teste viro indubitatæ fidei, Jac. Tollio, in Epist. Itiner. V. p. 141. alio modo coaxant, atque in Germania; sonus est, ut si ex cornu sonuisses Corrouk. Nos non meminimus, hic loci ranas vidisse, nec harum clamores inaudivisse.

Non procul Posonio olim *sulphuraria*, in qua inflammabile sulphur ex minera coquebatur, fuit de qua vero pronunc incolis loci nihil amplius constat.

In aquis ad urbem Danubialibus *Husones* maximi, pisces bonam ac delicatam carnem mensis præbentes, capiuntur. Zeillerus in Descriptione Regni Hungar. p. 235. huic urbi *thermas* tribuit, sed fallit, quia puteus est frigidus. Ad portulam, das Fischthürlein dictam, non procul a ripis fluvii Danubii est balneum, aqua scaturit frigida, sed teporata adhibetur; virtutes pyritæ tribuendæ. Maxime vero aqua Danubialis per canales in hortum quendam, proxime ad Danubium situm, ducitur, qua calefacta & in patentissimi oris dolia s. vannos infusa incolæ ad lavandum utuntur.

Civitas in vicinia optimas ſoli expoſitas vineas, quæ ſe ad duorum mill. ſpatium extendunt, habet. Vitiferi colles nobile vinum ferunt. Montes proximi quoque ſylvas paſcuas habent.

Feſto annunciationis Mariæ nundinæ ſolennes annuæ hic celebrabantur, in quibus ſpecifice multa plauſtra integra *allio* & *cæpis* onuſta divendebantur, quod Hungarorum & Polonorum aroma domeſticum, priores dicti crudum, non coctum, cum carne bubula, quæ in Hungaria ſapidiſſima eſt, vel aſſa menſis ordinarie imponere ſolent. Allium enim, nec non vinum, ſunt duo præſtantiſſima Hungaricæ nationis remedia, ex officinis pharmaceuticis raro aliquid, nec multum, petit, æſtimat enim, Allium & cæpas medicinam ferme univerſalem eſſe. Mart. Zeilerus annotavit, quod Hungari peculiari cum appetitu Allium in uſum trahere ſolerent, non aliter ac Hiſpani raphanum. Allium acre eſt, nimius eius uſus alvum turbat, flatus & borborygmos gignit, oris anhelitum foetore Judaico imbuit; contra cibis aſſumtum lumbricos exſtinguit & propellit, aſthmaticis prodeſt, urinam retentam & alvum ciet, menſesque educit. Cæpæ innata ſua acrimonia (ſunt in Hungaria dulciores, quam in Germaniæ terris) aliis cibis condimento ſunt, nimius autem earum uſus dolores capitis facit. Hoc vero probe notandum Hungaros firmæ robuſtæque conſtitutionis quam vino optimæ notæ & allio in acceptis ferunt, eſſe viros, parum & raro morbis corporisque infirmitatibus obnoxios.

Tabaco, quem Hungari & Razi integris plauſtris ex Hungaria ſuperiori & Turcia advehunt, hic multum quoque negotiatur. Plura, quam ſedecim, pro diverſitate foliorum peti, pulveris naſalis genera hic parantur.

Incolæ urbis peculiaris civilitatis laudem merentur, &, licet tota natio Hungarica ſale humanitatis & mo-

rum elegantia ſpectabilis ſit, credimus tamen, hunc locum reliquis, in puncto reverentiæ, palmam præripere poſſe.

Ad domum quandam in urbe caput mortuum humanum adpictum vidimus, addito lemmate:

Optima philoſophia & ſapientia eſt de morte meditari!

Ad aliam purgatorium, quod plurimæ morte carentes animæ replebant, adpictum, ſuper quod in cruce mundi ſalvator, cuius latus apertum ſanguinem largiter fundebat, pendebat, ante iſtum ad pedes mater Dei flexis genubus ſedebat, dicens:

Per crucem & ſanguinem tuum libera nos Domine!

Urbs quoque typographeum habet, quo vero Evangelici raro utuntur, ſunt enim coacti nunquam non ſua manuſcripta prius ad cenſuram cum patribus Soc. Ieſu communicare, qui ſæpius non tantum lineas, ſed integras paginas, foliaque oblitterant, ſenſum corrumpunt, adulterant, vel hoc quoque modo plane alium ſenſum, rebus & dictis opinionique veri autoris plane contrarium affingunt.

Signa urbis mnemonica vid. Ep. It. XLIX. *Cerevisia* duplicata, das doppelte Bier / quam hic coquunt, eſt brunni coloris, pinguis & admodum delicata.

Nummophylacium Cæſarii telonarii, Dom. Kemplins, numismata antiqua veterum Romanorum, Græcorum, Judæor. Gothor. Hungarorum, &c. quæ, quod ad maximam partem in Turcia, Dalmatia, Græcia, Transſylvania, Hungaria, &c. ex terra eruta, offerens, non ſine peculiari voluptate perluſtravimus. Aliquot mill. thaler. æſtimatur.

Incolæ quatuor *linguis*, nempe Hungarica, Sclavonica, (Windiſch oder Slovackiſch) Latina & Germanica verba ſua fundunt. *Moneta* Hungarica & Cæſarea, nec non nummi argentei unciales & ſemiunciales Gallici

hic

hic valent, & in commerciis in usu sunt. *Vestitus* Germanicus hic cessat, & Hungaricus, plus satis magnificus, incipit.

Annis 1515. 1563. 1590. 1642. & 1703. urbs magna ex incendiis perpessa fuit damna; præterea variis quoque in bellis obsidione cincta. Anno 1108. Germani corona mœnia undique, sed frustra, aggrediebantur, paulo tamen post Rex Ottocarus & urbem & arcem expugnavit. Anno. 1619. Princeps Transylvaniæ, Bethlem Gabor istam capiebat; rursus milites Cæsarei anno 1621. & Turcæ 1683. oppugnabant quidem, sed cruenti, maximo cum damno, propulsabantur.

Mons Regius, der Königsberg dictus, ante urbem situs est, ad hunc Neo-Rex, equo insidens agili, post coronationem celerrimo cursu equitat, & ibidem Divi Stephani, qui Hungaros ad fidem Christianam convertit, machæra tres ictus decussatim in aëra mittit, in signum, se velle veram salvificam religionem adversus infideles strenue defendere vid. plura de hac urbe apud Tollium l. c. & apud Matth. Puel in Itinerario Thalassico. p. 30. Reliquum rogo, favore, quem a *Tuo* candore exspecto, excipias has res Posonienses memoratu a me dignas judicatas. Memorabilia Tyrnavisia, Neosoliensia & reliqua his mox sequentur. Vale, Musarum ornamentum, & diu bono ecclesiastico erudito & publico vive, meque porro amare perge prorsus Tuum. Scrib, Wolffenb. Mens. Oct. 1735.

T. T.

BRVCKMANNVS, D.

(o)

Ad Ep: Pt: XLVIII.

